

gatus rata adhuc magis facturus Mediolanum profectus 1426
 est. Hic Philippum de præfenti injuria querentem nactus,
 nunc Florentinorum superbiam, qui se necessario impli-
 cuissent bello, nunc Venetorum avaritiam incusantem,
 quibus non satis esset quod Brixiam ex suo principatu in-
 tercepissent, nisi Cremonensis quoque agri partem sibi
 adimerent, pro magno habuit negocio, iratum Principem
 fremmentemque suadendo, monendoque delinire, ut quæ
 fœderibus expressa essent, probaret. Quod ipsum tandem
 consecutus, ubi Venetos magistratus ad recipienda oppi-
 da missos, cum ignominia, se præfente, repulso vidit,
 Romam re infecta abiit. Fuerunt ea tempestate, qui tam
 subitæ mutationis causam fuisse crediderint, spem futuræ
 pacis ab Amadeo Allobrogum Duce ei factam: sed Me-
 diolanensium adhortationes alii in causa fuisse arbitrati
 sunt, qui quum de conditionibus pacis rescivissent, pu-
 blico nomine Philippum adeuntes, in hunc ferme modum 1427
 allocuti dicuntur: *Veniunt ad te, Philippe, tui Mediola-*
nenses, tua jussa & imperata facturi: quibus nullum tam
grave onus (tuæ modo conducatur dignitati) imposueris, quod
non omnino sit eis leve futurum. Siquidem ea omnibus mens
est, id consilium, ut si semper alias parati fuerimus omnia
tibi præfere, quæ ab obsequentiſſima civitate optimo cuique
Principi præfari soleant, nunc sane paratissimi ſumus: at-
que hoc ipsum eo studiosius profiteri libet, quo tuorum Me-
diolanensium opibus hac temporum novitate magis ac ma-
gis diffidere viſus es, aut certe eas ignorare: quando ad
hanc tumultuariam injuriam a Venetis acceptam ita ani-
mus remiseris, ita dignitatem tuam abjeceris, ut ea etiam
quæ fortuna belli non tibi abstulerit, avarissimo hosti cum
ignominia relinquant. Nam quid aliud est, munitissima Bri-
xienſis agri oppida, & ex Cremonenſi non modicam par-
tem, cum Ollii ripa Veneto tradere, quam Brixie occupa-
toribus Cremonam largiri, quam superbissimo hosti ad to-
tius Cisalpinae Gallia imperium anhelanti, stimulos
ſubdere, & ad majora audenda fiduciam præfere?
Etenim ſi res tuæ quod (Deus nolit) ita acciſæ, ita

1427

Mediola-
nensium
cum Phi-
lippo adlio-
nes